19 1.

ORATIO HABITA IN

Scholâ Chriſti Orphano-Trophii,

CORAM ILLUSTRISSIMO

CIVITATIS PRÆTORE,

DIGNISSIMIS

PRÆSIDIBUS,

FIDISSIMIS

THESAURARIIS;

Et Cæteris

HOSPITIORUM LONDINENSIBUS

Patronis Benigniſſimis:

SEPTEMBRIS xxjmo, 1675.

Londini, Typis *Gulielmi Godbid*, 1675.

A

Christ's Hospital

N

ORATIO HABITA IN *Scholâ Chriſti Orphano-Trophii.*

Præſtantiſſime Prætor, Senatores Selectiſſimi, Cives Graviſſimi,

INter veteres olìm Romanos in conſuetudinem abiit, cum apud populum ſacris & feſtis verba facturi eſſent, Auditorum animos orationis ſuavitate delenire, & hoſtium ſpolia, veluti aucta gloriæ & factorum ornamenta oſtentare, nè aculeis hiſce ſtimulati, tàm inſignes triumphos defædarent.

Et quid non hodiè Alumni veſtri, qui ad jucundos hos Septembris dies a-

manam ſibi de Sole veſtro affulſiſſe lucem affirmant, exultarent? Quid nî, conſpectis Patronis; intrà hos parietes gratæ præſentiæ veſtræ plauſus ab univerſis datus eſſet? Eſt, eſt, inquam, adeò ſuavis conventus veſter, ut neminem noſtrûm hodiè eſſe videatis, cujus pectus gaudiis plenum in vultum non exundat, & lingua Munificentiæ veſtræ Amplitudinem non prædicat. Ecce eos, quibus irradiavit charitatis veſtræ Sol Clariſſimus, Gratitudinis noſtræ victimas offerentes, & flexis genibus pedes veſtros deoſculantes.

Deviciſtis nos obſequio veſtro, & ità affeciſtis, ut animi noſtri in exultationem excitentur, & parietes ipſi æquis laudibus perſonent. Summa profectò hodiè emicuit pietas & clementia, quam, etſi non fænerato, animo tamen grato rependeremus. Hic dies Orphanorum laudibus triumpharet, & Civitatis noſtræ Claritudo apud Poſteros grandeſceret. Ità quidèm hoc tempus quàm maximè poſtulat & locus imperat. Sed quis hanc provinciam ſuſ-

ceptururus

cepturus eſt? Ingenuè profectò confitendum eſt (Patroni Spectatiſſimi) hoc nimis arduum & humeris impar videri; Potiùs tamen quàm Londini Civitatis noſtræ florentiſſimæ, cujus liberalitatem nos miſelli ſatis experti ſumus, fama deſperiret, Ego, à quo nihil, niſi quod ex quotidiani Sermonis fæce congeſtum, expectandum eſt, hujus hodiè aggrediar laudationem & pertinacitèr evincam.

Omnes ubique Londini gloriam & decus Senatorum venerantur: Hic Gazophylacia civium opulenta mirantur, illìc magnifica domicilia collaudant; Hic Byrſam Mercatorum multitudine ſatis repletam indigitant; illìc Subſelliorum & Sacrarum Ædium, quæ nupèr in fumum & cineres redacta fuerant, amplitudinem comprobant.

Nec Nominis veſtri fama offuſcatur tenebris. Eſtis profectò Cives urbis non infimi ordinis, ſed celeberrimi, quæ inter cæteras hujus gentis ita caput extulit, ut totius Regni Metropolis & Emporeum

dignè

dignè habeatur. Vos Londinum in amplexu fovet, & ſecuris ſedibus poſuit. Hic faſcibus & præfecturis decorati; hìc honoris titulis inſigniti, opibus pervigetis, ſummo imperio & autoritate pollentes. Atque hìnc tanta civitati claritudo, tanta & vobis charitatis celebritate conſpicuis, acceſſura fama, quam cæteræ colunt & ubique prædicant.

Sed quò tandèm in immenſum civitatis noſtræ laudum Oceanum præceps feror? Rapuit quidèm (Patroni ſpectatiſſimi) & abduxit orationis curſum Londini magnitudo. Geſtiret animus mihi fuſiùs paulò proſequi; ſed peritioris penecilli negotium hoc petit. Liceat tamen pauca, quibus Munificentiæ & Charitatis hujus indicia lucidiùs paulò eniteſcant, recenſere.

Satis ni fallor, conſtant præmia perampla, quibus ſpectantium oculos in ſe trahit. Panduntur orphanorum catervis, ut opulentiam agnoſcant, portæ Regales. Altiora ſolet moliri animus, & ſiquod illuſtrium poſſit inveniri, liberè meditatur.

Demi-

Demiratur profectò Alma Mater Edvardi *Sexti pietatem inſigniſſimam, qui Primores olìm ad conſilium advocavit, ut, quò ipſe cum illis bonorum eſſet operum feracior, definiretur.*

Ille, ut olìm viſum fuit, prima jecit Salutis noſtræ fundamenta, & quibus egentibus ſuccurrendum eſſet, rectè conſtituit. Et vos etiam (Digniſſimi) manus veſtras admoviſtis, & ab incendiorum injuriis ità veſtris nupèr vindicâſtis ſumptibus, ut nec in hâc nec in aliis regionibus illuſtrius inveniri poſſit piæ charitatis Monumentum. Ità ſigna & bonitatis vexilla Londinum *refert, ità theſauros explicuit, ut jàm per totum terrarum orbem fama vigeat, & literis & linguis celebretur.*

Faceſſant tandèm miſerorum planctus, & afflictorum variis doloribus capitum ſingultus, ne aures Londinenſium *diutiùs perſtrepant, nec languorem animis noſtris incutiant. Ecce quàm benè à Deo ipſo his conſultum fuit, ut nihil, quo corpora*

ſuſten-

ſuſtententur, aut morborum cruciatus expellatur, omninò deſit. Patent & Divi Bartholomæi, & Divi Thomæ Fores, ut crura mutilata & brachia eluxata in integrum reſtituerent. Reverâ Noſocomium! Sed Peritos apparavit Londini Clementia Samaritanos, qui vulnera colligant, & molle lenitudinis oleum infundunt. Ecce Betheſdam apud Piſcinam, ubi Angelus Munificentiæ aquas turbat, eâdemque turbatione plurimi à quocunque detinentur morbo, ſani fiunt.

Nec Miſericordiam Manichodocheîo, **Bedlam** ſcilicet, parciorem perſpicio. Hic quidèm miſeriarum affatim perſentire licet; ſed veſtra (Benigniſſimi) ut eos ad humanam formam reſuſcitetis, qui homines eſſe propemodùm ceſſavêre, beneficentia longè latéque ſeſe diffundit. Regale profectò Domicilium! quod ſumptibus veſtris nupèr conſtruxiſtis, Demiramur. Et jam, ut in aliis, ita etiam in ratione amiſſâ mentibus captis reddendâ, non minùs emicuit liberalitas veſtra, etſi for-

taſſ

taſſè non eadem gratia vobis referatur, ſed malè mòratâ potiùs tractemini.

Procùl à Mænibus noſtris recedant Vagabundi, qui malè juvenantur & vitiorum fæce volutare ſolent; exterminentur ædibus & vicis, qui pediculis verminant, vitam ſilentio tranſeuntes. Si nolint, adeſt Irenarcha, *ut Curatoris Pacis ductu & Lictoris Coactu, Piſtrini, quod cane pejus & angue horrent, ſævitiam ſentiant & crudeli lacerentur verbere terga.*

Piget profectò (Digniſſimi) ut Clementia veſtra, quæ ex naturâ ſuâ nullum alium aſpectum, niſi placidos arriſus novit, frontem rugis implicare cogeretur; ſed medicam diſciplinæ ſeveræ potionem, ut periti ſolent, præbetis, ut è læthifero malæ crucis excidio elabantur. Sed hos ad ſalutares manus veſtras remitto. Eſtis quidèm Gnari Medici, qui medicamenta, ad quod offendit, evacuandum, & ad elanguentes vires corroborandum adminiſtrare probè ſcitis.

Jàm

Jàm verò, Quis eâ pectoris caligin
& cæcitate verſatur, ut Mentem *eſſ*
Sapientiſſimam, *quæ mundum condidit*
non credat? non agnoſcat? Ecce Miſello
& Orphanorum Turbam, qui graves o
lìm pertinacis fortunæ ictus perpeſſi ſu
mus, quibus propter parentum amiſſio
nem, nec panis aderat, nec veſtiment
ad ærumnoſam nuditatem tegendam
nec domicilium, cujus latebris nos cala
mitoſos occultemus, ſuppetebat; Nun
verò melior nobis arriſit Deus, & ma
num porrexit, ut non ſolùm integræ con
ſervandæ, ſed etiam perditæ reſtituend
valetudini conſulatur. Deus nobis hæ
otia fecit.

Et vos etiam (Benigniſſimi) verè Pa
tres colimus. In veſtro jam favore (quo
Deo viſum eſt) ſecuri latitamus, qui in
opiâ & egeſtate perituri fuimus, nî be
nignitas veſtra nos nutriendi curam in
viſſet. Eam profectò fortunæ noſtr
miſeræ, multúmque jactatæ portum &
perfugium experti ſumus. Felicitate

jam

jàm noſtram meditamur, quibus omnia, quæ ad benè beatéque vivendum pertinent, contigerunt. Nec eſt, quòd multæ ambiguæ curæ, aut gemibundi dolores, qui in nos olìm confluxerunt, nos ampliùs reddant ſolicitos aut crucient. Utinàm rebus & ſtudiis noſtris meliùs à nobis conſultum eſſet, ut Præceptorum, ſub quibus militamus, laudes, & induſtriam commendemus. Non ſuſpicamur nos ex infimâ plebe natos, ſempèr ità futuros; veſtra enim Munificentia ſperare meliora juſſit. Curâſtis, ut animi noſtri excolerentur, & quibuſcunque poſthàc artibus exercitati ſimus, in iis ità verſemur, ut aliis longè prælucere liceat.

Nos, ut videtis, in Muſarum caſtris curâ veſtrâ & auſpcio ducti ſumus.

Suppetunt & nobis arma, quibus vel hoſtes provocare, vel nos ulciſci laceſſitos facilè poſſimus.

Ecce

GUILDHA

*Ecce Armamentarium nobis à di-
niſſimo quodam Patrono nupèr fundatu
& diverſis armis ab aliis benè refe
tum; Bibliothecam ſcilicet, ex quâ ta
quam è penu ad univerſorum uſum libi
depromi poſſunt. Nunc* Ciceronis *A-
nimam Spirare licet, & ad altiora ſtudi
noſmetipſos adaptemus, dum alii Sphæra
& cælorum Regiones dimenſuri ſumus.*

*Sed timeo (venerandi Patres & Pa-
troni ſelectiſſimi) nè, dum armorum uſum
& vires noſtras oſtentamus, hoſtes in
prælia nos poſcerent, & rebus veſtri
hodiè Mora ſient.*

*Ad caſtra tandèm reverſurus ſum. Li-
ceat tamen, quæſo, quia res veſtræ di-
cendi finem poſtulant, ut votivas preces
pro vobis facerem.*

*Inclareſcant undique CIVITATIS
noſtræ SENATORES pientiſſimi.*

Vivat CAROLUS *REX Sere-
niſſimus, atque Alii in hujus Imperii
Spem geniti.*

Floreat

Floreat BRITANNIA noſtra & in æternùm vigeat.

Dixi,

Simon Ledeatt, *Orphanus.*

FINIS.
